

Onesimum Nicomediae Episcopum celebrat. Verosimile quoque est, *Ignatium* non dissimulaturum fuisse illam Onesimi, qua à Paulo & conversus & tantopere laudatus fuerat, dignitatem si illum Philemonis intellexisset. Denique si Ephesiorum Episcopus factus est Onesimus, an ideo, (quod temere concludit *Grotius*) Ephesius & origine & familia heri sui fuit? Quasi vero nemo unquam ex urbe sua natali in aliam discesserit! Si verum est, quod *Alphonsus Salmeron* Disputatione 1. in Philemonem Tom. XV. Operum scribit; Onesimum Philemonis jussu atque autoritate ad Paulum rediisse, à Paulo vero Colossos cum Tichico missum esse, quod ex Theodoro, utique ita scribente, probat, (idem enim non dicit, ceu *Justinianus*, vult, *Hieronymus*, Epistola ad Theophilum contra errores Johannis Hierosolymitani, quippe qui aperte loquitur de Ministerio Onesimi seu Diaconatu, Paulo ante remissionem ad Herum praestito) hoc ipso Ephesius ortu peraeque effectus non est Onesimus, ac ipsius antecessor, Timotheus, qui Patriam habuit Lystram Lycaoniae urbem, Act. XVI, 1. 2. Loquor ex communi Pontificiorum opinione, qui Timotheum faciunt Episcopum Ephesinum, quod quam incertum sit, multis argumentis in Onomastico, Rostochiensium Theologorum & aetate & meritis Antecessor, *D. David Chytraeus*, demonstravit. Interea non abnuo *Oecumenio*, in Hypothesi de Onesimo testante: Sciendum, quod hic Onesimus martyrio coronatus fuerit in urbe Roma, *Tertullo Consule*, crurum fractione sententiam sustinens Martyrii.

§. 9. Occasionem, qua inductus est Paulus, ut ad Philemonem scriberet, verbis ejusdem *Oecumenii* repraesentabimus: Hanc Epistolam scribit Paulus ex urbe Roma. Occasio vero erit istaec. Onesimus, domesticus Philemonis fugerat. Veniens autem ad Apostolum, informatus ab ipso in Religione est, ex quo utilis ei factus est ad quotidianum ministerium. De hoc itaque scribit Philemoni, commendans ei Onesimum, ut benigne ipsum recipiat, nec eundem tam ut servum tractet, quam ut fratrem. Commisit quoque eidem preparare hospitium, ut cum
ad-